

אלהים עור לו

DISQUISITIO PHILOLOGICA
De

UNCTIONE PROPHETARUM,

Quam

*Consensu Amplissima Facult. Philos.
in Regia Acad. Aboënsi,*

Sub PRÆSIDIO

VIRI maxime Reverendi & Celeberrimi

Dn. ISAACI BZÖRRUNDS/
L. L. Orient. & Gr. Prof. Ordin.

Pro GRADU Magisterii,

*Ad publicum honorum examen modeste
defert*

JOHAN SERLACHIUS Filius
Nylandus.

In auditorio maximo, die 6. Mensis,
Maji, Anni MDCCXXXII.
Horis ante meridiem solitis.

ABOÆ,
Excud. R. Acad. Typ. Joh. Kiampe.

S:æ R:æ M:tis
Magnæ Fidei VIRO,

*Perillustri ac Generosissimo Baroni
ac Domino*

Dn. JOHANNI HENR.
FRISENHEIM,

Provinciarum Nysslott = Kymmene-
gardensis ut & Careliæ Præfidi, &
Gubernatori Exoptatissimo,

Mæcenati Maximo.

*Hæc quaecunque specimen Academicum,
illustrissimo Tanti Mæcenatis Titulo u-
nice splendendum, ob summum quem exper-
tus est favorem, in grati animi tesseram,
cum pio pro perenni Ejusdem incolumitate, vo-
to, humillima veneratione consecrat*

Perillustri & Generosissimi
Nominis.

*Cultor Devotissimus
Joh. Serlachius.*

S:æ R:æ M:is

Magnæ Fidei VIR,

Reverendissime Pater ac Domine,

Dn. JOHANNES

GÉZELI, J. F. J. N.

**S. S. Theologiæ Doctor Celeberrime,
Dioeceseos Borgoënsis Episcopo E-
minentissime, Consistorii Præles Æ-
quissime, Regii ibid. Gymnasii Scho-
larumque per Dioecesin Ephore Ad-
curatissime,**

Mæcenas Maxime.

P*atris Reverendissime Pater, inculto huic
labori meo ornatum ex Tuo eminentissi-
mo Nomine addi, nec desinas posthac gratia
illa singulari, qua immortalis memorie Ge-
nitor Tuus paternam meam domum macla-
vit, natam in tanta Clientela sinu prolem
benignissime beare. Florentissimam Reveren-
dissime dignitati Tue & nestoream vitam a
Deo O. M. perpetuo apprecaturus, Venera-
bunda mente permanebo.*

Reverendiss. Nom. Tui

Cliens Humillimus

J. S.

*VIRO Admodum Reverendo atque
Amplissimo,*

Mag. GEORGIO HELSINGIO,
Archi-Præposito Borgoënsi Gravis-
simo, Senatus Sacri Adfessori pri-
mario, Patruo & Patrono deve-
rando, quovis obsequii cultu æter-
num colendo.

VIRO Admod. Rever. atque Præclarissimo,
Mag. PETRO SERLACHIO,
Ecclesiarum, quæ in Pernou sunt,
Pastori meritissimo, & ejusdem di-
strictus Præposito laudatissimo, Pa-
truo longe Carissimo, ætatem
venerando.

Ignoscite, quæso, Patroni, Patruus & Af-
prasigendo tevidenssi huic opelle Nomina
posse cogitarem, quin gravius peccarem, si-
tia erga Vos mea prætermitterem; spe ali-
animus, fore ut & facilem veniam facti-
tia Vestra erga me voluntate favorem non
animo Vobis precor, & ut me fortunamque
commendatam esse concedatis, vehementer ro-
Ampliss, Adm. Reverend. Præclariss.

Cultor
Joh.

*VIRO Nobilissimo atque
Consultissimo*

Dn. BRYNTHONI J. AURELL,
Judicij Territoriorum, Wijkboensis,
quod Ost-Gothiaë est, & Stegebur-
gensis maritimi ad Austrū vergentis,
affini longe Carissimo, quovis ob-
servantiæ cultu prosequendo.

VIRO Spectatissimo,

Dno. NICOLAO ASCHLING,
Prætori Territoriali per Wijkboen-
sem, qui Ost Gothiaë est, districtum,
laudatissimo, Affini longe amantissi-
mo; Omni reverentia plurimum
honorando.

*fines propensissimi, si auaricia mea peccavit,
Vestra honorificentissima. Nam cum fieri non
occasionem opportunam declarande observan-
firma cœpit flagrans pietate & grato affectu
sim impetraturus, & ulteriorem ex propi-
temere sim exspectaturus. Fausta cuncta ex
meam benevolentia Vestra etiam atque etiam
go & obtestor, mansurus quoad vixero,
atque Spectatiss. Nominum Vestror.
Observantissimus.*

Serlachius.

קול הששון ושמחה

בשמע בצפונה

כאשר מפלפל

האיש. בחור השוב ונכבד

הארון

JOHANNES SERLACHIUS

וצו

על

משחת הנביאים:

פַּל פֶּלַת הַזֹּאת כֹּל מוֹצֵאִים

זֶרְעוֹ שֶׁמֶשַׁח הַנְּבִיאִים

אֵין חַיָּא כִּמֶּשַׁח הַכֹּהֲנִים

שֶׁהִיָּתָה בְּרֵאשִׁית שְׁמֵנִים

כִּי נִמְשַׁח כֹּהֵן בְּבִשְׂמִים

לַחַיּוֹתָו קָדוֹשׁ הוּא בְּעַמִּים

בְּקִרְבוֹ אֵל קוֹדֵשׁ קֹדְשִׁים

לַעֲשׂוֹת שֶׁל יְהוָה מַעֲשִׂים


באחרים ומיום המלכום
בשמן המשחה נמשחים
לא כן משפט הנביאים
כי משה אותם האלהים
ברוח קודש כגבורים
לקרוא של יהוה דברים
זו בשמים אין חיצוניים
כי אם מתנים פנימיים
זאת מפלפל באמרים טובים
אדוני חר בחורי הגונים
לכן גם אחר מעט ומים
יכתירו ראשך ערונים
סמוך תחיה בין בחורים
ושמך יגדל לדור דורים:

Clemens Helin

Wex: Spzot.

Conspectus Opellæ.

- §. I. De nomine Prophetæ & facultate vaticinandi differt.
- §. II. De variis unctio- nis speciebus agit.
- §. III. Problema de Prophetarum unctio- ne sistit, & sententiæ affirmati- vae rationes, a typo Christi, unctio- ne de prophetis predicata, & unctio- ne Elisei, petitas recenset.
- §. IV. Duas priores ponderat & discutit.
- §. V. Ad exemplum Elisei respondet.
- §. VI. Sententiæ negativam rationibus, a defectu testimonii sacri, a fine unctio- nis, a methodo divina suscitandi Pro- phetas, stabilit.
- §. VII. Testimoniis humanis eandem con- firmat.



כשם יהוה

§. I.

UT Doctores sacri in veteri
fœdere diversi fuerunt or-
dinis: ita ceteros omnes
multis parasangis præstant
illi, quibus Deus familiari manife-
statione se aperuit, qui & καὶ ἰεχοὺν
Prophetae dicuntur. Hi enim non a-
liqua Melancholiæ atque vividæ ima-
ginationis vi & impetu, neque quod
rabie quadam correpti ac mente a-
lienata essent, oracula fuderunt: sed
immediato instinctu plane divino
vaticiniis futura prædixerunt, sicut
id clarissime cum multis aliis argu-
mentis, tum omnium evidentissime
testimonio divino 2. Pet. I. v. 21. Esa.
41. v. 21. &c. comprobatur. Quare
erroꝝ

errore suo prorsus labuntur, qui
 divinandi facultatem homini natura-
 lem esse, adeoque nec fatidica san-
 ctorum in gente Hebræa Propheta-
 rum enuntiata, nisi ab innata qua-
 dam animi motione, & tempera-
 menti ad phantasias propensione,
 profecta, detestabili ausu contendunt.
 Causæ namque futurorum contin-
 gentium in arcanis Dei consiliis abs-
 conditæ latent, quæ quoniam a nul-
 lo humano intellectu, quâ tali, ex-
 plorantur & perspiciuntur, donum
 supernaturalis revelationis in homi-
 ne, a spiritu Dei acto, supponunt
 (a). A verbo Græco *πρόφηται*, præ-
 dico, manifesto est *προφήτης*, vates,
 futura prædicens. Notat itaque pro-
 prie nomen *Propheta* ministrum Dei
 extraordinarium, *Προφήται ὑπὸ πνεύ-
 ματι αἰγία*, qui voluntatem Dei ho-
 minibus exponit, & futura contin-
 gentia prædicat. Alioquin & usu N.
 T. sacro illis pariter tribuitur, qui

(a) *Huet. Dem. Evang. axiom. 4. p. 21,
 &c.*

destituti dono vaticinandi, prædicatores erant verbi Dei, seu interpretes scriptorum Prophetarum, 1. Cor. 14: 29. 32. Immo κατὰ χεντικῶς ex usu gentium prædicatur de Poëta, Tit. 1: 12. Ne quid jam addamus de metonymica ejus acceptione pro scriptura Prophetarum, Luc. 24: v. 44. Hebræis Propheta dicitur נביא: quæ vox proprie notat interpretem & alienorum verborum, ex alieno, non proprio nutu & voluntate pronunciatorem vel oratorem, qui echus ad instar nil nisi prius auditum vel acceptum eloquitur & profert (b). Sic Aaron dicitur Moſis נביא, i. e. orator & interpres, Exod. 7: 1. Verum ad rem sacram hoc nomen est restrictum, cum quo Deus familiares sociat sermones, & qui ejus vicissim præconium aliis celebrat, Gen. 20. 7. Singulari deinde notatione eum voluntatis divinæ interpretem designat, qui rerum abstrusarum cognitione est imbutus,

A 2

sive

(b) Deyling. Observ. sacr. XVI. pars. 2.

4
sive præteritarum, sive præsentium,
maxime tamen futurarum, ad qua-
rum scientiam nemo mortalium, ni-
si divino Spiritu adflatus, pertinge-
re potest. Quin & de illo occurrit,
qui divina alloquia fingit, Jer. 27: 9.
&c. Non tamen ubique adflatum
illum sublimem & ἁγιωσύνην sup-
ponit, sed viros aliquando notat
studiis divinis operatos, cantores
præsertim & Poëtas sacros, qui lau-
dibus Dei decantandis vacabant, 1.
Chron. 25: 1. &c. Horum Prophe-
tarum imprimis certa fuisse collegia
& scholæ institutæ videntur, in qui-
bus rerum divinarum artisqve mu-
sicæ studiosi, *filiis Prophetarum* dicti,
erudiebantur & exercebantur, 1.Sam.
19: 20. 2.Reg. 2: v. 3. &c. Et ita qui-
dem fieri potuit, ut subinde motus
& impulsus extraordinarios Spiritus
Sancti sentirent, & qui idonei essent,
fatidico dono imbuerentur (c). Con-
centu certe musico affectus vatum
excitabantur, ut mens devota & in-
cale-

(c) *Budd. Hist. Eccl. period. 2. sect. 3. §. 26.*

callescens instinctui divino facilius
pateret, 2. Reg. 3. v. 15. Hoc autem
loco Prophetæ nomen nobis signi-
ficatu illo celebriori & strictiori
pro viris Ἰσοπνεύστοις, vaticinandi
facultate instructis, accipitur.

§. II.

QVONIAM itaque de Prophetarum
unctione pauca pro ingenti mo-
dulo scribere exorsus sum, non ali-
enum duco nonnulla de variis un-
ctionum generibus prælibare. Po-
pulis loca sicciora & ferventia inco-
lentibus familiaris olim & frequens
fuit unguentorum usus, quibus se
perfundebant, tum ad corpora mul-
to sudore exhausta reficienda, tol-
lendaque graveolentiam, tum ad
conciliandum decorem. Hic mos He-
bræorum passim in scripturis cele-
bratur, Ruth. 3. 3. Amos 6: 6. Eccles.
9: 8. &c. Sic unctionis voluptas a Ro-
manis inter laudatissima & honestis-
sima vitæ bona est admissa (a). QVIN
Græci

(a) Plin. H. N. lib. XIII. c. 36.

Græci fuere adeo unguentorum studiosi, ut exploratum haberent, quod unguentum cuique membro humani corporis esset accommodatum (e). In tricliniis potissimum & balneis inungi solebant (f). Quo ritu, ceu ad lætitiā ac voluptatem comparato, in luctu abstinuere, 2. Sam. 14: 2. Dan. 10: 3. (g). Præter vulgarem illam, medica etiam unctio omni ævo fuit usurpata, Eisa. 1: 6. quorsum referenda ea Marc. 6: 13. Jac. 5: 14. quanquam tunc cum miraculo conjuncta; unde Papistæ extremam unctiōem, sacramenti necessitate servandam confixerunt. Neque prætereunda videtur unctio athletica: unguentis enim delibuti in ludis gymnics certamina veteres inibant (h). Quo respexisse priscos Christianos ritu *Chrismatis* seu unctiōis baptismo adhibitæ, innuit Ambrosius. *Unctus es, inquit, quasi Athle-*

(e) Casaub. Exercit. 14. n. 12. (f) Demster. ad Rosin. lib. 1. c. 14. & lib. 5. c. 36. (g) Gejer. de luct. Ebr. c. 21. §. 9. & c. (h) Curt. lib. 9. c. 7.

*Athleta Christi, quasi luctamen hujus se-
culi luctaturus (i).* Cui tamen & Pon-
tificii sacramentalem confirmandi
vim adfinxere. Præterea ab antiquis-
simis inde temporibus usu receptam
fuisse *unctionem feralem*, qua demor-
tuorum corpora, sive in eximium
singularemque honorem, sive etiam
ut a putredine conservarentur, illi-
nebantur, indubitata annalium fide
constat. Cujus rei exempla etiam
sacra scriptura habet, Gen. 50. v. 2. &
26. &c. Atq; hunc morem apud alias
quoque gentes, Ægyptios præsertim,
obtinuisse, passim historiæ profanæ &
monumenta varia testantur (k). Su-
perest *unctio consecratoria*. Non jam la-
boramus de altarum rerum unctione,
qua eas tum canæ vetustatis consue-
tudine, ut lapidem a Jacobo, Gen.
28. 18, tum jussu divino, ut taberna-
culum & ejus instrumenta, Exod.
30. v. 26, &c. consecratas constat. Ve-
rum de certis loquimur hominibus,
qui
(i) *de sacram. lib. 1. c. 2.* (k) *Herodot.*
lib. 2. f. Euterp.

qui divina institutione in veteri te-
 stamento, peculiaribus muniis ad-
 movendi, præmissa unctione desi-
 gnabatur, iisdemque muneribus con-
 secrabantur. I. De *pontifice* Hebræo-
 rum *maximo* res extra omne dubium
 est posita, de quo unguendo clarissi-
 mum exstat Dei mandatum, Exod.
 29: 7. idemque in Aarone effectui da-
 tum legitur, Lev. 8: 12. Verum de
 sacerdotibus inferioribus, an & illi
 unguendi ritu sint initiati, ambigue
 disquiritur, negantibus aliis (l), aliis
 affirmantibus (m). De ipsis certe A-
 aronis filiis unctio luculenter prædi-
 catur Exod. 28: 41. & 40: 15. His ad-
 jungunt Hebræorum magistri sacer-
 dotem, *מלחמה* unctum *castren-
 sem* dictum, quem auspicio-
 rum bellicorum causa publice unguentis
 consecratum fuisse contendunt (n). II.
Reges etiam solemnibus unctione inaugu-
 rare

(l) Pfeiff. *antiq. Ebr. c.* 28. (m) Hor-
 ting. *ad Goodv. Mos. & Aar. lib. 1. c.*
 3. §. 3. (n) *Cun. de republ. Hebr. lib. 1.*
c. 14. & lib. 2. c. 20.

rare apud Hebræos erat moris: quod
 constat de Saule, 1. sam. 10: 1. Davide, 1.
 sam. 16: 13. 2. Sam. 5: 3. Salomone, 1.
 Reg. 1: 39. Jehu, 2. Reg. 9: 6. Joaso,
 2. Chron. 23: 11. Joahas, 2. Reg. 23:
 35. quorum nonnulli speciali quidem
 Dei mandato inuncti leguntur. Id
 tamen notant hic Rabbini, quum
 regnum esset hereditarium, primos
 tantum cujusque familiæ reges fuisse
 unctos, nisi aliquando heredi lis de
 successione esset mota (o). Ceterum
 an oleum illud sacrum, Exod. 30: 23.
 & seqq. descriptum (p), ad reges quo-
 que inaugurandos sit adhibitum, ex-
 pendere jam non vacat: neque u-
 trum reges super caput forma coro-
 næ seu litteræ O; pontifices vero
 inter supercilia ad instar græci & sint
 inuncti, disquirere expedit (q). III. Un-
 ctionis in consecrando usurpatæ ex-
 emplum citari solent etiam *Propheta:*
 qua

(o) *Good. Mos. & Aar: lib. 1. c. 4. §. 2.*
Pfeiff. l. c. (p) Conf. Maimon: tr. כל
שקר c. 1. (q) Schickard: de jur: Reg.
Hebr. c. 1. Theor: 4.

qua de re quarere, hujus est loci. *Mysticam* vero *unctionem* impræsentiarum nominasse sufficiet.

§. III.

Vulgatissima est ea plerorumque Ecclesiæ Doctorum sententia, qua, præter summos V. Testamenti Pontifices & Reges, Prophetæ quoque similiter inaugurati & unctione initiati fuisse statuuntur. Cujus sententiæ rationes hæ præcipue esse videntur.

I. Quia Prophetæ non minus, quam Reges aut sacerdotes summi, typi fuere augustissimi Messia nostri Jesu Christi: per illos utique Deus eadem ratione officium Mediatoris propheticum, qua per ceteros regium & sacerdotale, præfiguratum voluit. *Unctus enim is est Oleo lætitiæ pro confortibus suis*, Psal. 45. v. 8. non solum ut esset Rex & Sacerdos, sicut et nos ipse Melchizedec: nec solum sacerdos & Prophetæ, ut Moyses: nec denique Rex solummodo & Prophetæ, sicut David: sed ut simul & Rex, & sum-

mus sacerdos & Propheta esset. Hinc quoniam de illis inaugurandis constat unctio, nec alienum aut absurdum videbitur, eandem de Prophetis prædicare, quum typi fere nervus, saltim ipsa nominis $\text{חַשְׁבִּי$ ratio, in unctioe consistat. II. Præsertim cum & facta scriptura huic sententiæ haud leve fulcimentum subministret, dum expresse unctionem de Prophetis prædicat, E. G. Ps. 105. v. 15. ubi verba sic jacent: $\text{אַל תַּעַר בְּמַשִּׁיחַי וּלְנַבִּיאי אַל תַּעַר}$ *Ne tangatis unctos meos, & Prophetis meis ne malum faciatis.* In quo dicto, ex Clarissimorum virorum commentationibus & Exegeticis explicationibus, hic est sensus: contactu damnofo aut ingrato minime afficiatis unctos meos Prophetas, aut dampnum molestiamve ullo modo eis inferatis: adeoque vocibus חַשְׁבִּי & נַבִּיאי non diversi, sed iidem denotantur. Prophetas enim vel ministros suos appellat *unctos*, quos peculiaribus donis exornavit, totique velut orbi, tanquam

quam veri cultus antistites solemniter consecratos commendavit (r). Huic loco parallelus est 1. Paral. 16. v. 22.
 III. Maximum autem robur huic sententiae accedit ab unctione Elisæi, de qua clarissimum exstat mandatum divinum 1. Reg. c. 19. v. 15, 16.

וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלָיו לֵךְ שׁוֹב לְדָרְכְךָ
 מִדְּבָרָה דְּמִשְׁקָ וּבֵאתָ וּמִשַּׁחְתָּ אֶת
 חֲזַחַל לְמֶלֶךְ עַל אֲרֹם וְאֵת יְהוֹנָתָן
 בְּמִשְׁחֵי תַמְשַׁח לְמֶלֶךְ עַל יִשְׂרָאֵל וְאֵת
 אֱלִישָׁע בֶּן שַׁפְטַן מֵאֵבֶל מְחֹלָה
 תַּמְשַׁח לְנָבִיא תַחֲתֶיךָ

Et Elisam filium Saphat de Abel Mebolla unges prophetam in locum tuum.

Quemadmodum enim de maximo Propheta nullum foveri potest dubium, quin mandato divino obtemperaverit: ita non evidentius testimonium aliud pro stabilienda unctione Prophetarum a quoquam jure desiderari videtur. Si enim hic ritus in uno Propheta initiando, & man-

(r). Gejer- comment. in [b. l.]

mandato quidem divino adhibendus, valet: neque idem de ceteris ulla ratione negari poterit.

§. IV

Attamen si accuratiori examini has affirmativæ sententiæ rationes subiciamus, vereor, ut sufficientes inveniuntur, quæ unctioem Prophetarum corpoream & externam comprobent. Nam ad primam quod attinet, necessariam connexionem & consequentiam non habet: *Esse typum Messia, & esse unctum sacro oleo initiationis externo.* Quamvis enim non inficias iverim, unctioem sacerdotum & Regum veteris Testamenti typicam fuisse ex instituto divino, & venturi in temporis plenitudine Messia unctioem adumbrasse: tamen juxta quoque contendo, alios, de quibus nulla ejusmodi unctio vel prædicata est, vel probari potest, typice nihilominus ea, quæ ad officiū Christi Mediatoris pertinēt, præsignificasse: quales fuere Josua, Simson, & plu-
res

res liberatores populi Israelitici. Porro si omnis typus Christi deberet esse corporaliter unctus, etiam simili unctioe Agnus Paschalis & serpens æneus in typum Christi consecrari debuissent: quod dicere quam absurdum est. Præterea neque omnis typi respectu Servator noster משיח est dictus, quum & alia sint nomina diversa ratione ipsi indita, & sufficiat, eum ratione præcipuorum officiorum unctum appellari. Propheticum vero illud extraordinarium quondam erat docendi munus: unde sunt ex probatissimis Theologis, qui sub officio sacerdotali illud comprehendant, ut sic distincta denominandi ratio inde non sit quærenda. Verum consideremus sane divisim Propheticum munus: isthoc tamen eo unice referendum est, unde denominatio primum petita, & cujus respectu Christus *Propheta magnus* dictus est, Deut XVIII: 15. Luc. VII, v. 16. videlicet typum suum, Mosen, quem tamen externa unctioe inaugura-

gura-

guratum fuisse Prophetam, nusquam legimus.

Neque altera ratio validiorem confert conclusionem affirmativæ sententiæ stabilendæ: quippe cum duplex detur unctio, *spiritualis & corporalis*, nullum certe mihi patet argumentum, cur unctos in citatis scripturæ locis vel utraque, vel *corporali* potius, quam *spirituali* unctioe tantum, Prophetas esse credam. Indicat præterea contextus præcedentium versiculorum, sermonem esse de Patriarchis, Abrahamo, Isaaco & Jacobo. Quis diceret hos oleo aliquo unctiois materiali esse inauguratos Prophetas? Cujus rei nec volla nec vestigium usquam apparet. Nihilominus Abraham diserte ab ipso Deo vocatus est Propheta (s). De Isaaci benedictione (r) monent ipsi Rabbini, eandem omnino Propheticam esse. Nec dubitari potest, quin ejusmodi quoque sit Jacobi (u).

(s). Gen. 20, v, 7. (r). Gen. 27 v, 27.
Ab. Ezra.

(κ). Sicut itaque non omnino displicet summis Theologis sententia eorum, qui sanctos Patriarchas tam antediluvianos, quam postdiluvianos Prophetas appellant atque unctos, vel ideo quod magni essent & quasi reges, vel quia amica colloquia cum Deo, visionesque habuerint, & futura prædixerint: ita mihi minime persuadere possum, iisdem æque probari, si quis statuatur, hos omnes externa unctione ad munus Propheticum vocatos & consecratos fuisse. Unde & ingenue D. Gejerus heic non crassam illam unctionem, & olei corporei affusionem, sed metaphoricam tantum intelligendam statuit, ubi infuso Spiritus S: oleo mutati sunt in viros alios (ν).

Rejecit & D: I: Hen. Michaelis hanc ob causam merito inanem Ab. Ezræ conjecturam, scribentis: *forte ita fuit, sc: quod uncti fuerint Patriarchæ* (ω).

§. V.

(u) Gen. 48. & 49. (v) Comment. ad Psal. 105. 15. (w) Not: uber: in eund: l.

S. V.

EXemplum vero Elisæi visum est plus in recessu habere pro adstruenda unctiōe Prophetarum, quam ullum ex prioribus argumentis: hinc etiam plerique Theologorum, dum in eo occupati sunt, ut recensent diversas veteris Testamenti unctas personas, quibus Prophetas annumerant, hoc idem Elisæi exemplum, si non ut unicum, saltem ut palmarium probationis fulcrum excitant inducuntque. Sed nec illud omni exceptione majus est: quippe licet Eliam unctiōis mandatum a Deo accepisse non negaverim; rationibus tamen non destituor, cur illud potius de unctiōe improprie, quam proprie sic dicta, interpretandum esse credam. Urgent quidem ex adverso proprietatem verbi $\Gamma\psi\delta$, quam non deserendam putant: sed liquido simul constat, idem verbum & figurate aliquando valere: idque vel per *synecdochen speciei pro genere*: nam quum nonnullæ personæ ad munia sua un-

tionis ritu admoverentur, factum est, ut hoc verbum generatim cepisset etiam accipi *de constituendo & declarando ad aliquod officium*, licet unctio non esset adhibita, Jud. IX: 8, 15. Esa. XLV. v. 1. Ezech. XXVIII: 14. *vel metaphoricè*, quum Deus peculiaribus spiritus donis ad certum munus aliquem instruit, ut Christum, Psal. XLV: 8. Patriarchas, II. modo alleg. sic *χρῆσις* de fidelibus, 2. Cor. I: 21. Eventus ergo ipse optimus erit verbi hujus interpres, qui Elisæum non oleo, sed alio symbolo initiatum docet. Cum enim Elias morem gesturus præcepto Divino, Elisæum invenisset arantem, non eum unxit, sed amiculi sui injectione eum designavit Prophetam, sicut expresse narratur in eodem capite versu 19. Si enim accessisset unctio, scriptor utique sacer, qui alia momenta vocationis exacte refert, eam non præteriisset, vel unico verbo facile monendam. Pallium itaq; superjectum hic symbolum erat con-
 secre-

secrationis, quemadmodum idem deinceps 2. Reg. II: 13. signum erat uberiorum donorum in Eliseum collatorum. Verum instant, verbum unguendi in eadem prædicationis ratione, eodemque orationis tenore, non esse diverso sensu accipiendum. Quum igitur de regibus præcedentibus constet id proprie valere, neque de Propheta aliter sine absurdo intelligi posse. Ceterum novimus, prædicata indoli subjecti esse attemperanda. DE Jehu citra dubium posita est unctio. Hasaelem autem neque ab Elia, neque Eliseo esse unctum, sed tantum designatum regem, eventus ostendit: & præterea res oppido est incerta, num unquam mos unguendi reges apud Syros obtinuerit. De Prophetis unctis nullum alioquin est exemplum. Sed & plura sunt, ubi unum prædicatum de diversis subjectis usurpatum in eadem orationis serie, diverso omnino sensu est exponendum. Sic Exod. XIV. v. 31. וַיִּשְׁמַע יְהוָה אֶת-קוֹלֵם אֲלִיִּם aliter de Deo,

aliter de Mose intelligendum. 2. Chron. XXXI: 8. ויברכו non idem de Deo, atque de populo valet. Immo in hoc nostro argumento occisio & gladius neutiqvam similiter, h. e. proprie, de Elisæo, ac de Regibus prædicantur. Ergo nec absurdum erit, unctionem diverso sensu, h. e. improprio, de eodem explicare.

§. VI.

ETsi igitur affirmativa sententia, circa problema de unctione externa Prophetarum, communi fere hætenus doctorum consensu obtinuit: negativam nihilominus veritati potius convenire, vel ex jam allatis colligi posse reor. Quod ut tanto evidentius pateat, momentum unum aut alterum stabiliendæ huic sententiæ adjicere juvat. Quemadmodum itaqve tantum rerum veterum pro vero acceptamus, quantum monumentis historiarum fide dignis memoriæ proditum reperimus; alio-

alioquin res in meras abit conjecturas: ita quin idem de hac quaestione sit pronuntiandum, minime dubito. Adeoque deficientibus etiam aliis rationibus, quæ rituales Prophetarum unctionem evincant, haud obscurum & leve pro confirmanda sententia mea argumentum, a defectu testimonii sacri deducitur. Etenim qui fieri potuit, ut si tantus Prophetarum numerus, quantus est ille, quo Deus populum foederis sui olim beavit, unctione caeremoniali consecraretur officio suo; scriptura tamen sacra nusquam vel minimam ejusmodi rationis inaugurandi injiciat mentionem? Recte igitur ejusmodi ritum, cujus neque instituti neque usurpati vestigia usquam in universo oraculorum sanctorum volumine sunt conspicua, negamus. Quorum tamen utrumq; de pontificibus & regibus ac principibus constat, unde & illi soli שני בני היתהר duo filii olei, Zach. IV: 14 dicuntur. Præterea cuicumque ad ipsum finem unctionis ritualis respicienti obvium est de-
 pre-

prehendere & colligere, quemadmodum idem finis in Prophetas haud quadret. Nam externi olei affusione, peculiaris prerogativa sive Ecclesiastica sive politica collata fuit, ut ita uncti publica auctoritate munirentur, & a cœtu communi exempti, venerabiles & quasi sacrosancti universo populo sisterentur. Verum solemnem istam declarationem de Prophetis sacra ignorat historia, quæ aliam plane Prophetas dignoscendi rationem præscribit, solum videlicet vaticiniorum eventum, Deut. XVIII: 21, 22. Jer. XXVIII, 9. unde & hoc nondum viso, Prophetæ plerumque non honorati, sed indigne habiti & exagitati sunt. Privatam autem eorum unctionem, a quo, in quem finem, & quo testimonio, factam dicemus? Denique *modus suscitandi Prophetas* nihil commune habuit cum constitutione summi Pontificis aut Regis Israelitarum. Horum namque vocationis declaratio mediata, illorum autem plane
 iure-

immediata fuit, facto ad ipsos verbo divino, & agente eos Spiritu sancto, idque improvise, & nulla prævia per alios, si Elisæum excipias, annuntiatione, aliquem futurum vatem: potissimum quum nequibus munus illud extraordinarium ad certos homines & familias esset restrictum, sed libere & arbitrato divino dispensaretur. Qua ratione neque fieri potuit, ut antea inungerentur, neque postea opus erat, quum oleo interno satis essent initiati. Neque conjectura valet, in scholis saltem Prophetarum frequentatam esse unctionem: siquidem nec ulla de vaticinandi donis unctione externa conferendis promissio existat, nec ritus iste paucissimis testibus in occulto peractus, auctoritatem muneri conciliasset.

§. VII.

Hæc erant, quæ pro temporis ratione breviter adducta, animum adhuc meum non cohibuerunt modo

do, quo minus communem de hoc unktionis ritu opinionem amplecterer; verum & in contrarium prorsus inclinarunt. Quæ quæquam suo se pondere tueri, mihi quidem videntur: tamen ne audaci novandi cupiditate ductus doctorum statuta convellere, & solus sapere velle arguar, pro me magnorum virorum suffragia haud paucorum, qui idem hic senserunt, colligere est proclive. Verum quia tempore urgeor, paucissima allegasse sufficiet. Ex antiquis ecclesiæ doctoribus *Lactantius* Prophetas in communionem unktionis caremonialis non admittit: *Erat*, inquit, *Judeis ante præceptum, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent illi, qui vocabantur ad sacerdotium, vel ad regnum (x)*. Ex recentioribus judicium *Cocceji* hoc est (y): *Elias jussus Eilæum ungere Prophetam, non eum unxit, sed pallium suum super eum injecit, & ita declaravit, imponi*

(x). *instit. divin. lib. 4^o c. 7.* (y). *in lexic. ad voc. ׀ַשׁׁוֹׁ*

ipſi a Deo officium, quod Elias haëtenus
 geſſerat. Id unctio dicitur, quia eſt or-
 dinatio ſeu declaratio muneris impoſiti.
 Idem repetit alibi (z). Similia habet
 Piſcator apud Polum (a): ungit, me-
 tonymice, i. e. conſtituito in Prophetam.
 Omnium autem clariffime Theolo-
 gus Evangelicus & Philologus ſum-
 mus Glaſſius (b), Quidam, inquit, per-
 ſonis unctis addunt etiam Prophetas, ob
 locum I. Reg. XIX: 16. Sed cum nullus a-
 lius ſcripturae locus exſtet, quo unctio Pro-
 phetarum commonſtrari poſſit: & in man-
 dati divini executione non unctio Elisæ,
 ſed pallii Eliæ ſuperinjectionis fiat mentio,
 igitur rectius forſan dicitur, verbum
 נָחַם ibi per antanaclafin uſurpari pro
 conſtituere, ordinare, inaugurarè, ut
 & alias accipitur per metonymiam. Hu-
 ic calculum addo magni viri D:
 Buddæi (c), qui merito dubium movet,
 quo pacto Elias Haſaelem, Jebum & E-
 liſam

(z). voc. נָחַם (a). ſynopf. Critic:
 ad I. Reg. 19. 16. (b) Exegeſ. Evang.
 & Epift. d. Pet. & Paul. (c) Hiſt. Eccl.
 V. T. period 2. ſect. 4. S. 9.

lisam ungeri jussus dicatur, cum nihil eorum ab eo factum sit. Eliseum namque successorem sibi constituit, sed non unxit. Et paullo inferius, *Mibi*, inquit, eorum placet sententia, qui *Elis* potestatem hosce homines ad certum officium designandi (quæ ungeri voce exprimitur) concessam statuunt.

Sic *Flacius*, vir egregii judicii & in scripturis versatissimus, ut jure a *Langio* (d) commendatur, certe diligentissimus idiotismorum indagator, ubi personas unctas, reges & sacerdotes, recenset, Prophetas omnino præterit (e). Ita nuper *Dachselius* (f) peculiari opera sententiam nostram apertissime defendit. Denique & illos Theologos, qui officium Christi ad duo tantum genera, regium & sacerdotale, revocant, ut *Flusterus* facit (g), minime ab hac sententia

(d) *Instit. stud. Theol. litterar. sect. 1. c. 2. m. 1. § 8.* (e) *Clav. S. S. voc. ungeri* (f) *de unct. Elis.* (g) *Compend. Theol. loc. 3. qu. 35.*

tentia esse alienos, per se patet. Proinde candidæ Tuæ censura, B. L. hæc meditationunculas meas quæ par est observantia commendo. Quæ si placere Tibi queant, est quod gaudeam: sin minus, veriora de hoc argumento edoceri cupio.

S. D. G.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to contain several lines of cursive script.

S. D. G.



Additional handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to contain several lines of cursive script.